


44748



Dissertatio Inauguralis
MEDICA
DE
ICTERO GRAVIDARUM
ET
NEONATORUM,
QUAM
PRO DOCTORIS MEDICINAE LAUREA
RITE OBTINENDA
IN ANTIQUISSIMA NEC NON CELEBERRIMA
C. R. UNIVERSITATE PATAVINA
PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT
EDUARDUS COLLORETTO

ILLYRUS LABACENSIS



PATAVII
TYPIS CARTALLIER
1837

44748



030050355

CELSISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO DOMINO

ANTONIO ALOYSIO WOLF,

PRINCIPI NEC NON ECCLESIAE CATHEDRALIS LABACENSIS

EPISCOPO

S. CAES. REG. MAJ. A CONSILIIS GUBERNII

ETC. ETC. ETC.

VIRO

SCIENTIA, BENEVOLENTIA,

HUMANITATE AC PIETATE

INSIGNI,

PRIMOS HOS STUDII ACADEMICI FRUCTUS

IN PERENNE GRATI ANIMI

SUMMAEQUE VENERATIONIS MONUMENTUM

SACROS ESSE VULT.

GELSISSIME PRINCEPS!

Ultimum quod Medicinae candidato leges academicae injungunt officium, mihi jam a longinquo exoptatam obtulit occasionem, devotissimam quam erga Te semper exoptavi animo venerationem, publice nunc profitendi. Et sane vix verbis exprimere valeo gaudium, quo animum meum perfusum sensi dum potestatem mihi a Te, Cel-

*sissime Domine! concessam intellexi,
hasce in arte medica primitias Cele-
bratissimo Nomini Tuo dedicandi at-
que consecrandi.*

*Hoc studio et zelo Tuo litterarum
captus Celsissime Princeps! levidense
opus isthoc Nomini Tuo inscribere
statui, id unum a Te demisse petens, ut
opus idem ceu summae meae erga Te*

venerationis devotionisque pignus, atque in debitae Tibi reverentiae, et gratitudinis testimonium ea, quae in literas, literatosque ferri soles, benevolentia suscipere, et conatibus meis opportune favere digneris. Ita vovet

Celsitudini Tuae

devotissimus

AUCTOR.

DENOMINATIO ET DEFINITIO MORBI.

Icterus, aurigo, a *Celsio* ob colorem aureum, morbus regius dictus; morbus arcuatus; *Germanis: Gelbsucht; Italis: Itterizia; Hungaris: Sárgaság; Polonis: Zultaczka; Gallis: Jau-nisse*; est secretio et excretio bilis abnormis, per decolorationem propriam corporis superficiei totius, nec non oculorum albugineae flavo colore sese manifestans.

In specie icterus gravidarum et neonatorum est morbus secretionis et excretionis bilis a norma aberrantis in gravidis et recenter natis in certis ac propriis modificationibus obveniens.

Secundum *cel. de Raimann* icterus est illa adfectio morbosa, e bilis secretionis et excretionis turba, quae totius corporis superficiei atque oculorum albugineae flavo per varios gradus colore, urinis flavo-rubicundis vel obscure bru-

neo-flavidis, ut plurimum crassis ac turbidis, corpora alba croceo notantibus colore, alvinis excrementis albis aut albo-griseis, dyspepsiae symptomatibus, nonnunquam sudore quoque, saliva, sputis, imo sero sanguinis flavide tinctis atque tingentibus insignitur.

Cel. *Henke* auriginem recenter natorum illam adfectionem dicit, quae a tertia ad septimam usque diem superficiem cutis infantum decolorat.

Secundum cel. *Frank* icterus est ille morbus, cujus phaenomena primaria: retentio liquidi biliosi plus minusve flavicantis, subinde in viridescentem, rarissime subnigrum colorem abeuntis, et mox per corpus universum, mox vero per partem illius conspicui, nonnunquam solum per oculorum albugineam diffusi, cum urinis plerumque obscure rubris, spumosis, chartam lintheaque immersa tingentibus, faecibus vero fere griseis, saepe cum pruritu cutaneo et variis functionum turbis constituunt.

Dantur etiam observationes, foetum matris uterum relinquentem aurigine jam laborasse.

SYMPTOMATOLOGIA.

Praecipua symptomata icteri sunt sequentia: Color flavus in albuginea oculorum, in temporibus, in facie nec non pectore pedetentim ad universam corporis superficiem sese extendens,

modo stramineus, modo aurantiacus. Haec flavo serpit ad carnes et ossa, invenitur et in sputis et in urina nec non faecibus. Sapor amarus, anorexia, nausea, pruritus cutis. Urinae profunde tinctae adparent croceae, interdum coffeanae, quae linteum immersum tingunt, alvus tarda, parca, cum faecibus aut duris aut argillaceis, griseis, aut albescentibus, quae dependent ab insufficiente bilis quantitate ad tubum intestinalem descendentis. Habentur etiam exempla de sudoribus, quibus lintea flavo colore tingebantur. Visus etiam ita alteratur, ut omnia flava conspiciant aegri. Reliquam phaenomenorum seriem sistunt hepatalgia, peculiaris anxietas in abdomine, quae abdominalis seu hepatica dicitur. Sed ob variam differentiam causarum nec non complicationum, varia hujus morbi imago observatur.

Sic auriginem a plethora tumor hepatis, aucta ejus sensibilitas, turgescencia sanguinis versus encephalum et symptomata febris comitantur.

Si icterus ab hepatis inflammatione, praeter symptomata morbo peculiaria, etiam signa localia hepatis inflammationis adsunt: quippe dolor fixus in hypochondrio dextro constans, qui sub inspiratione profundiori augetur, cephalea, sitis, lingua sicca et febris inflammatoria momentumque occasionale rite exploratum, diagnosim confirmant.

In aurigine ab induratione benigna aut sci-

rrhosa, pars attactu dura, vomitus et nausea, defectus doloris, aut nonnunquam lancinans accedente levi inflammatione partis induratae, et absentia febris deprehenduntur.

Icterus ulcerationi partium cystidis felleae originem debens, morbum hepatis praecursorium habet. Cel. *Bontius* in India orientali hanc morbi speciem pluries observavit.

Auriginem ex praesentia calculorum biliosorum ortam, dolor vehemens in regione hepatis et stomachi, qui post pastum augetur, vomitus, convulsiones, singultus, insultus cardialgici et animi deliquia periodice recurrentia demonstrant.

PATHOGENESIS.

Diversae dantur opiniones circa Pathogeniam hujus morbi. Veteres credidere, bilem in sanguine ictericorum circulantem in hepate secretam, ibi resorptam et in massam humorum per venam portarum iterum reversam fuisse. — Repentina hujus morbi origo et ejus praesentia, etiamsi secretio bilis in duodenum impedita non sit, huic opinioni valde contradicere videntur.

Clar. *Morgagni* et *Autenrieth* morbi causam in lenta aut intercepta sanguinis circulatione per vasa capillaria quaerunt.

Cel. *Baumes* et *Rosenstein* morbi causam in mechanica obstructione ductuum biliferorum per meconium, mucum et alias quisquillas agnoscunt.

Chambon a vi mechanica sub partus negotio cerebro illata et hujus passionis in hepate refluxu, derivat.

Therapiae hujus morbi magis consentaneum esse videtur, originem ejus a stimulo hepar infestante repetere, talis stimulus nempe uberiores secretionem bilis causat, ad quam percipiendam vasa resorbentia hepatis invitantur, dum stimulus et vitam eorum sollicitat, hinc ex lege bilem in lumen suum recipiunt et insimul ductuli biliferi infarctum et obstructionem experiuntur.

Statum hinc spasticum hepatis et ductulorum biliferorum adesse, origo repentina auriginis sub spasmis et convulsionibus in aliis corporis partibus, typus symptomatum remittens et intermittens, causae nonnullae occasionales spasmos provocantes, uti animi pathemata, et tandem efficacia magna remediorum antispasmodicorum et antiphlogisticorum abunde demonstrant.

Nec negatio clar. *Bosquillon* auriginis spasticae, hancce sententiam, experientia et clarissimorum virorum exemplis comprobata, infirmare valet.

AETIOLOGIA MORBI IN GENERE.

A quibusdam medicis desumitur ex superabundantia bilis, totam massam reliquam inquinantis; sed haec non sufficit, nam et interdum hepate sano icterus in corporis superficie sese manife-

stat. Est potius fundata in peculiari processus plastici conditione, sub qua bilis copia major generatur. Relate ad bilem, quae in hepate secernitur, sequentes duci possunt casus ad generandum icterum: Vel exitus naturalis omnino denegatur, vel tantum pro parte, vel nullum in bilis excretionem adest obstaculum, sed in secretionem ejus, vel denique excretio respondere nequit bilis secretioni. Quoad originem icteri requiritur peculiaris conditio systematis reproductivi, sub qua nascitur nisus in humoribus ad majorem principii biliosi quantitatem generandam, ad quod etiam paria vitia hepatis concurrere possunt. Dispositionem habent quaedam subjecta ex parte temperamentum, propter quod major bilis quantitas in illis secernitur; dein favent dispositioni etiam circumstantiae externae, uti clima calidum, tempus aestivum; praeterea omnia illa momenta, quae stases et inertiam in vasis abdominalibus producere valent, proclivitas ad animi pathemata et prae aliis ad iram, quae fontem agnoscunt in bile ipsa.

Data dispositione, tanto facilius causae occasionales auriginem producant, uti turgores in hepate, vel inflammationes, turgores ex accumulatione bilis in ductibus biliferis, quod observatur in febribus biliosis. Omnes causae, quae secretionem bilis nimis incitant, uti animi pathemata, abusus potuum et remediorum phlogisticorum; porro omnes potentiae, quae exi-

stunt aestivo tempore in climate calido, uti siccitas atmosphaerae et calor maximus; denique omnia momenta, quae bilis excretionem praepediunt, uti concretiones ductus choledochi, aut obturationes a muco, a bile nimis crassa, densa, vel a calculis. Sunt et casus, in quibus *Ascaris lumbricoides* hanc obstructionem produxit.

Inter causas occasionales, hunc morbum provocantes, numerantur etiam vitia organorum hepatis vicinorum, uti: parectama lienis, intestinorum repletio, graviditas; nam uterus gravidus mechanica pressione comprimit ductus biliferos. Recensentur adhuc species spasmodorum ductus biliferi, in quibus denegatur bilis descensus; ira ipsa, quae per spasticam, quam efficit, ductus biliferi contractionem, facit plethoram biliosam in vesica fellea ipsa, sed icterus inde proveniens est transitorius.

AETIOLOGIA MORBI IN SPECIE.

Causas speciales nunc auriginis gravidarum et recenter natorum adgrediens, prius interpretari conabor « *qua ratione foemina gravida* » *foetui auriginem communicare valeat* », et hic solum ad nexum anatomicum inter foetum et matrem quemque attentum reddere vellim, quo rite considerato, facile perspiciendum erit, matre ictero laborante, et foetum necessario eodem morbo laborare debere.

Hocce assertum confirmat observatio cel. *Kerkringii*, qui in sectione infantis icterosi, qui brevi post partum defunctus est, et cujus mater aurigine laboravit, ossa corporis integra colore flavo tincta inveniebat. In gravidis pressio uteri ingenter extensi, faeces in tractu intestinali induratae, animi pathemata nec non saepe vitia organica organorum abdominalium auriginem producant.

Cel. *Zwinger* inter causas auriginis gravidarum expansionem cystidis felleae memoratu dignam refert.

Spasmos auriginem provocare testantur cel. *Morgagni*, *Vesling*, *Helwig* et multi alii; negant *Heberdenius* et *Coe*.

In recenter natis retenta meconii excretio, quae effusionem bilis in intestinum duodenum impedit, juxta opinionem clar. *Bischoff*, *Froriep* et *Vrisberg* qua frequentissima causa icteri considerata est; nam teste experientia plerumque illi infantes aurigine corripiuntur, quibus Colostrum denegatum fuit, et cujus locum eccoprotica ad ciendas excretiones alvinas supplere non valent.

Secundum cel. *Henke* in recenter natis functio hepatis, tractus intestinalis et cutis metamorphosim validam experta, auriginis origini ansam praebent.

Icterus neonatorum epidemice grassans, observatus est a *Bruinning* anno 1772, nec de-

sunt observationes febris intermittens ictericae.

PROGNOSIS.

Haec in aurigine diversissima ob variam conditionem causae occasionalis.

In sanitatem abit aurigo, si causa auferri, refluxus bilis in duodenum restitui, et conditio morbosa processus reproductivi emendari potest, et tanto facilius sanabitur, si causa levis fuerit, nota, recens et facilius amovenda. — In alios morbos transit, ubi adaequata therapia non fuit instituta, aut ubi causa vel ignota, vel nota quidem, sed non amovenda. Varia sunt mala secundaria processus reproductivi, in quae transit, uti: tabes emphrastica, hydropes ob turbatum aequilibrium inter secretiones et excretiones atque propter discrasiam biliosam, quae magis inclinatur ad characterem septicum, propter praevalens principium alcalinum facile oritur scorbutus. — Icterus per se ad mortem non ducit, nam solummodo decoloratio est; sed sub eo oriuntur varia vitia organica non corrigenda, ex quibus provenit mors, sive *repentina* et quidem *syncoptica*, ubi vomica hepatis ita increscit, ut orthopnoea et dyspnoea lethalis oriatur, aut etiam, ubi repentina evacuatio vomicae in cavum abdominis locum habet; vel *lenta*, quando per stadium colliquativum vires omnes ex integro consumuntur.

Aurigo gravidarum plerumque ante partum difficulter auferenda, associans sese ad hydro-
pem, meteorismum, febrim hecticam aut cache-
xiam aliquam, periculum vitae inducit.

Decolorationis cutis ipsius modus ad progno-
sim statuendam quidquam confert; nam aurigo
flava meliorem, viridis minus amicam, auri-
go nigra pessimam prognosim admittere solet.
Icterus a vitiis organicis omnem medelam re-
spuit.

Prognosis in aurigine neonatorum plerumque
fausta; nonnunquam morbus cito sine adhibita
medela jam quarta, jam septima die disparet,
nec mala secundaria relinquens, aut solo bal-
neorum tepidorum usu dissipatur. Hic tamen
memorandum, ne color cutis flavescens neona-
torum, qui post partum difficulter exantlatum a
stagnatione sanguinis in cute provenit, habeatur
pro ictero. Fuisse tamen epidemias pecu-
liaris malignitatis, *Bruinning* et *Rosenstein* te-
stantur, et secundum alterum convulsiones et
dolores colici accedentes, imprimis prognosim
obnubilant.

Auriginem gravidarum et neonatorum ex ru-
ptura vesicae felleae et ab calculis biliosis indu-
ctam periculosissimam et fere semper lethalem
esse quisque perspicit, rite perpendens vim et
effectum nocivum harum potentiarum in rela-
tione ad integritatem oeconomiae animalis.

THERAPIA.

Haec duplici modo instituenda est; nam icterus morbum primum per se existentem constituit, vel secundarium, qua symptoma cujusdam adfectionis morbosae.

Methodus medendi auriginem, qua morbum per se existentem, amplectitur indicationem causalem et indicationem morbi ipsius.

Indicatio causalis, ut prima et praecipua, ad naturam potentiae nocivae sive idiopathicam sive sympathicam respectum habere debet, nec non versatur in illius amotione. Haec indicatio causalis contra icterum in genere valet, sed et in specie erga auriginem gravidarum et recenter natorum valebit.

Hinc in aurigine a plethora systematis venae portarum, methodus antiphlogistica et solvens cum evacuationibus sanguinis topicis, cremor tartari, tartarus tartarisatus, liquor terrae foliae tartari indicantur.

Icterus ab inflammatione hepatis exortus, therapiam propriam exposcit: hinc evacuationes sanguinis topicae aut etiam universales et remedia leniter solventia cum emollientibus unita.

Si inflammatio hepatis ex diuturna calculorum in hepate mora originem suam repetit, antiphlogisticum apparatus exposcit; hic memoratu digna videtur observatio cel. *Cullen*, qui instituta simili in casu venaesectione, in sanguine cru-

stam inflammatoriam similem ac in pleuropneumonia invenit.

Aurigo capitis laesiones comitans nonnunquam, secretionem bilis ob stimulum vulneris a recto tramite aberrante incedens, emetica, serius purgantia admittit.

In ictero ab stagnationibus viscerum abdominalium et statu irritativo systematis vasorum methodus magis solvens exposcitur; hinc sales medii in connubio cum extractis saponaceis, uti Taraxaci, Graminis, Fumariae, Saponariae; fructus Tamarindorum, Rheum et Sapo quadrant. Hujus loci etiam sunt: ova recentia cum aqua Cinnamomi aut saccharo contrita, serum lactis et decoctum radices Curcumae, quod jam *Sydenhamus* magnis laudibus extollebat.

Aurigo a concrecentia ductus hepatici aut cystici vel choledochi, cujus diagnosi notabilem difficultatem praebet, ut tot medici libenter consentiunt, illum morbum non cognitum ab ipsis fuisse, sanationem omnem recusat, quum operatio a cel. *Petit* proposita, hic nullis argumentis firmis suffulta, magis pium desiderium, quam indicationem causalem explendam offert.

Icterus ex praesentia calculorum biliosorum, qui in ductibus biliferis, in capsula Glyssonii atque cystide fellea inveniuntur, nec non ex terra calcarea acido phosphorico combinata constant, atque diversae magnitudinis, formae ac consistentiae sunt, testante *Heberden* ope tartari

emetici feliciter debellatur, qui qua narcoticum hocce in casu dolores sopit; dein sub insultu pro re nata hirudines et emulsiones, statu spastico insimul praesente Opium, Castoreum, Aether sulphuricus, balnea et clysmata conducunt, quo cessante succi plantarum inspissati, Rheum, Soda carbonica et clysmata Kaempfiana. Complures medici etiam saponem longiori tempore porrectum in solvendis calculis biliosis proposuerunt.

Aurigo a saburra solummodo neonatis est propria, et a meconii praesentia pendet; cura instituitur eccoproticis, syrupo mannato, Rheo, balneis. Similis icterus in infantibus lactantibus etiam nascitur lacte alterato, et sanatur purgantibus.

In ictero a sordibus gastricis, primo emetica (absente omni inflammatione), deinde leniter solventia et purgantia fortiora, exceptis salibus, optime conducunt.

Aurigo a vermium praesentia in hepate ipso, cujus exempla clar. *Bianchi* adfert, aut in ductu choledochi aut intestinis, primo ablationem conditionis generationi vermium faventis, dein anthelmintica characteri febris et statui virium vitalium correspondentia exposcit.

Icterus ab inflammatione viscerum abdominalium cum hepate nexorum, a gravedine vel faecibus induratis exortus, ablatis hisce statibus, tollitur.

In aurigine a retropressis exanthematibus aut impetiginibus reviviscentia horum postulatur; hinc balnea, tartarus emeticus in unguento aut solutione, tinctura cantharidum; interne hepar sulphuris a granis quinque ad decem, aethiops mineralis cum floribus sulphuris, aut Antimonium crudum cum extracto stipitum Dulcamarae adhiberi possunt.

Si ex suppresso fluxu menstruo aut haemorrhoidali aurigo exorta est, hicce restituatur.

Icterus a morsu animalium venenatorum, v. g. viperae, scorpionis, verosimiliter contractioni spasticae vesicae felleae et ductuum biliferorum originem debens, antispasticis et sedantibus optime sanatur, ex quorum serie praesertim sal C. C. volatilis et spirit. sal. ammon. caust. fama extolluntur.

Aurigo ab animi pathematibus, ut plurimum praesente insimul statu spastico, antispasmodicis, uti lapidibus cancrorum, potione Riveri, liquore minerali Hoffmanni, liq. C. C. succinato, fomentis aromaticis tractatur; praedominante statu spastico, influxu pathematis jam recedente experientia laudatur exemplis a *Greding* et *Ludwig* adductis *Cicuta* aut per se aut cum melle exhibita, vel cum *Belladonna* in connubio; *Ipecacuanham* in refracta dosi *Baldingerius*, virtutem assae foetidae in his casibus *Herzcius*, opii *Voglerius* optimo cum effectu exploraverunt.

Nec croci efficacia in his malis deest testante

Marcardio; dein clysmata ex remediis antispasticis, inunctiones oleosae et emplastrum vesicatorium in usum trahuntur.

Febris intermittens icterica duplici ratione adparet, aut cum singulo insultu febris intermittens in conspectum venit, typum periodicum ludens, vel post sanationem febris intermittens cum sordium adhuc in primis viis praesentia. In ambobus casibus infarctus et spasticae adsectiones in systemate chylopoëtico sine dubio adsunt, quae usum remediorum solventium, alternatim cum evacuantibus, exposcunt; febrifuga, imprimis China, summa tantum cautela et solum post ablatam auriginem adhibeantur.

In aurigine sic dicta hysterica vel hypochondriaca, praecipue homines delicatulos, erethisticos, post refrigerium aut levem commotionem animi corripiente, antispasmodica universaliter et topice adhibentur, imprimis opium optimo cum successu in usum tractum fuit, eccoprotica dein bilem acrem evehentia, cyclum therapiæ claudunt.

Tandem aurigo recenter natorum, nunc temporis rarius occurrens, plerumque usui eccoproticorum cedit, quae meconium evehunt, et sic effusionem bilis in intestinum duodenum liberiores reddunt, ex quibus optime quadrant, Colostrum, syr. Cichorei cum Rheo, syr. mannatus, syr. simpl. cum Magnesia, pulv. ex Magnesia et Rheo, Sapo venetus praesente insimul levi adfe-

ctione spastica aut debilitate, balnea tepidula cum sapone nec non herbis aromaticis impraegnata a cel. *Froriep* commendantur. Si complicatio cum torminibus, spasms, colica adest et eccoprotica frustra jam tentata fuerint, clysmata ex infuso Chamomillae, sero lactis, melle, decocto Avenae cum pauxillo olei; et si morbus per longius tempus excurrit, inunctiones cum unguentis volatilibus et aromaticis in regione abdominis prosperos effectus praestabunt.

Perlustratis supra frequentissimis causis icteri ut morbo proprio, et tractatione illius perscrutata, adgredior in genere medelam auriginis symptomaticae, nec indicationem causalem, nec morbi explere admittentis, et solum therapiam symptomaticam desiderantis.

Medicus his miseris aegris praeter consolationem psychicam, regimen diaeteticum, motum aequabilem in aëre sereno et libero, mutationem habitationis et itinera suadeat, medicamentis aptis stimulum bilis acris in massam humorum reversi mitigare, qualitatem bilis ipsam corrigere et excernere sedulo studeat, tali modo febrim hecticam ultimo sese associantem praecavere, aegrum orci faucibus eripere, et etiamsi non dulci vitae, attamen vitae iterum reddere valebit; hinc acida vegetabilia, serum lactis tamarindatum, limonea ex sale essentiali Tartari, cremore tartari etc., qui bilem acrem mitigant minuuntque, insimul obstipationem, quae fere sem-

per adest, auferunt; stimulum validum decoctum seminum lini, Cannabis, Graminis, aqua Selteriana, Fachingensis moderabit, marcorem conspicuum lac asinum debellat, et quum excretio bilis per renes facillime contingit, diuretica leviora reliquis circumstantiis bene perspectis summa efficacia hic loci adhibentur, insimul therapiam radicalem adjuvantia et non raro unica tela medici in debellando ictero sistunt.

Dilucidata nunc aurigine ex parte, neminis intellectum fugiet, illam mox morbum levem nec tractatione indigentem, mox gravem, dulci vitae insidiosum, mox revera lethalem sistere; et hinc forsitan notatu dignum erit, jam veteres medicos multa et varia remedia qua specifica contra auriginem laudasse, ex quibus nonnulla mirae conditionis, solum rudem empyrismum redolentia, merito oblivioni tradita sunt; sic *Th. Bartholinus* novem pediculos cum pane et butyro comedere, *F. Hoffmannius* pulverem foetus leporini sectione matris obtenti, alii Oniscum asellum, Lotium ovilli, et similes quisquiliis summere proposuerunt; ast principia medicinae rationalis haecce omnia dissipavere, et solum indicationibus firmis medici medelam radicalem aut symptomaticam icteri adgrediuntur.



THESES DEFENDENDAE.

I.

Febres intermittentes ad nevroses referendae.

II.

Non datur venenum absolutum.

III.

Diaeta primum et firmissimum therapiae fundamentum est.

IV.

Matre ictero laborante et foetus eodem laborat.

V.

Ophthalmologiae studium difficillimum sagacitatem ingenii perspicacissimam exposcit, saluti humanae saluberrimum et utilissimum.

VI.

Acarus scabiei non est causa, sed effectus.

VII.

Morbus morbo saepenumero tollitur.

VIII.

Vita sanguinis minime neganda.

IX.

Acidum hydrocyanicum in stadio phthisis pulmonalis primo multum, in secundo parum, in tertio minime vel nihil valet.

X.

Medicus magis observet, quam agat.

XI.

Dantur diarrhoeae purgantibus sanandae.

XII.

Febris phthisicorum cortice peruviano non sanatur.

XIII.

Datur debilitas, quae antiphlogisticis tollitur.

XIV.

Vis medicamentorum chemica in corpus humanum haud levis aestimanda.

VII

VIII

IX



XII

XIII

XIV

Narodna in univerzitetna
knjižnica

© NUK



00000445808

